



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

Libri Decimi Argumentum, & Synopsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)

## LIBRI DECIMI

*Argumentum, & Synopsis.*

**C**UM sensisset Moses placatum iam populo Deum, expiatis poenitentia castris, & idololatrarum sanguine; promississetque se ductorem viae fore, sicut prius, Exodi 33. ausus est expetere visionem claram diuini vultus, siue illam beatificam, quae mente solâ usurpatur; siue aliquam aliam luminosi corporis, ad sensus corporeos accommodatam; quam haberet tanquam pignus redintegratae prorsus gratiae, vel etiam, quò clariùs Deum agnosceret, ad muneris sibi impositi partes tanto sanctius obeundas. Promisit Deus, quod petebatur: & illam beatificam, qua ostenditur *omne bonum*, sed suo tempore; & illam alteram, cuius in hac etiam vita, & mortali corpore patientes fiunt amici Dei, miris in contemplationis silentio, somnòque modis, excedentibus, & alienatis à sensibus animis. Hanc promiserat Mosi Deus mystico nomine Posteriorum suorum: quasi illa pura, & beata, quae sit sine corpore, sit visio faciei; ista autem, quae ex creatis rebus, aut quibusuis etiam sacris symbolis contemplando assurgit animus ad speculandam gloriam Domini, sit tantum visio diuini dorsi, auersa, scilicet, adhuc facie. Repetit igitur Moses solus montem cum tabulis, quas sibi dolarat, Exod. 34. & in spelunca à Deo compositus ad visionem mirificam, & tanto prophetâ ac Duce populi dignam, videt Posteriora illa Dei praetereuntis, & lucem manu temperantis. Atque hæc Posteriora non corpus tantum aliquod excellenti luce præditum, quod à tergo viderit Vates; sed incarnandi Verbi Mysterium cum grauissimis plerisque Patribus accipimus, quod Moyse in illo secessu enucleatè demonstratum sit illustrissimâ imagine lucis, & gloriae Christi Domini:

Domini:

Domini: unde ille iubar, & frontis radios conceperit, quibus illa etiam lex, quæ *ministratio mortis* fuit, gloriam acciperet, quamvis eam Mosaici vultus gloriam Synagoga non ferret sine velamine. Quod iam tum ominosum fuit Synagogæ noctuis, & filiis tenebrarum. Seriem visionis Synopsis dabit.

1. Describitur secessus ille in monte, & foramine petræ Mofi promissus ad visionem Posteriorum Dei, Exodi 33. 21. hæc spelunca ad contemplationis delicias, cuius ad ostium lucem manu sua dispensat Deus.

2. Moses specu abditus, fingitur consuetis orandi, & contemplandi gradibus niti ad visionem faciei expectatam. Assurgit igitur paulatim imaginibus, & memoriâ rerum creatarum, quæ diuinam omnipotentiam, sapiëntiam, & Bonitatem immensam sensibus exhibent, ad aspectum Diuinitatis ipsius, vt hîc fingi animis mortalium potest. Sic denique alienata à sensibus mente, rapitur, & excedit in Deum somno compositus contemplationis in Dei sinu, vbi omnia sine ratiocinationis labore conspiciat.

3. Moses ecstasi rapitur ad visiones varias.

4. Ostenditur illi Protoplastorum status, in Paradiso Edeneo, & post lapsum Angelorum rebellium inuidia diaboli eorum tentatio & lapsus.

5. Iudicium, & proscriptio Adami, & Heuæ: quibus in solatium exilij, & mortis insperata salus promittitur, atque, vt rumpatur inuidiâ Diabolus, decretum de Verbo humano in corpore mittendo ad instaurandam Dei gratiam demonstratur; siue illud ante, siue post præuisum peccatum, diuinitus constitutum est.

6. Christi Domini mortale corpus, totumque consilium corporandi Verbi, vtcunque constitutum fuerit decretum, Posteriora Dei meritò dici possunt, vt grauiissimi Patres plerique intellexerunt: nam, siue post peccatum præuisum decreta est incarnatio, posteriores hæ fuerint curæ, cogitationesque Dei plenissimæ sapientiæ; ex quibus longè melius, & clariùs agnoscatur Dei facies, quàm ex rerum creatione; conspecto, scilicet, in humano corpore

X 5 Filio,

330 *Libri X. Argumentum,*

Filio, viuâque Patris imagine. Si antè, quod probabilissimum semper equidem duxi, quàm mortales caderent, decretum Verbo corpus, & toti generi præparatum fundamentum, in quo staret, aut in quo reponeretur ædificij coelestis moles, Christi humanitas Diuinitatem, Mosis & hominibus tanquam à tergo inspiciendam exhibet lumine, & lineamentis virtutum omnium, & toto vultus Vnigeniti filo, ex quibus faciei claram speciem suspicari meliùs, ac faciliùs licet, quàm ex toto mundi paratu, ornatuque, quàm quouis è symbolo, aut imagine Prophetis exhibita. Proinde beati Apostolorum oculi & aures, quibus datum est videre & audire, quod Patriarchis & Prophetis plerisque non concessum.

7 Ostenditur Mosis luculentissima imagine series & modus Incarnandi Verbi, vt si ipse rebus intèresset, quando gestæ sunt.

8 Illibata virginitas Mariæ in conceptu, & partu.

9 S. Spiritus virgini in conceptu obumbrantis copiosissima gratia.

10 Christus ingressus mundum conceptus sui puncto, adorat Patrem, ex Psal. 39. templum illi Virginis veterus, vbi ipse hostia prima & maxima. Ibidem adoratur ipse ab Angelis iussu Dei, ad Heb. 1. 6.

11 Maria visit Elizabetham: Christus Baptistam suum ibidem statim baptizat.

12 Pax toto orbe nascituro Christo constituta: nascitur in Bethlehemia spelunca.

13 Pastores vocantur. Circunciditur ibidem.

14 Accurrunt Gentes Magorum ductu, vocatuque, & per eos Ecclesia ex gentibus expositum Christum tollit, vt olim filia Pharaonis Moysen relictum à suis.

15 Purificatur Maria ex lege: sistitur in templo Christus. Hypapantem celebrat Simeon senex.

16 Herodis inuidiâ exulat in Ægypto Christus.

17 Postliminio redit, mortuo Herode.

18 Duodennis elabitur ex oculis, & manibus matris, & custodis S. Iosephi, ad obsequium Patris. Stupent  
Doctores

Doctores ad illa rudimenta absolutissimæ sapientiæ.  
Reperitur inter Doctores : matrem , patrémque obsequio honorat.

19 Ad S. Iosephi beatissimam sortem stupet Moyse :  
in illius prærogatiuas admirando excurrit.

20 Christus properat ad Baptismum Ioannis.

21 Inde in solitudinem agitur à S. Spiritu : ieiunatus  
tentatur à Diabolo.

22 Prima, secundaque petitiones tentatoris elusæ.

23 Tertia tentatio confuso Satana superatur, & victori ministrant Angeli.

24 Alia Christi acta Mosi ostensa prætermittuntur,  
quod satis postica maiestatis species patet in natura humana Verbo indutâ.

25 Gloriosi Corporis Christi species Mosi exhibita,  
Deo laxante lucem in ostia spelunçæ ; & remouente manum, qua illam suo arbitratu cohibuit, ne in corpus à Diuinitate, & beatâ animâ redundaret ad illius gloriæ splendorem : radios concipit Moses, & illuminatur constanti lumine.

26 Oratio Mosi transeunte gloriâ Domini, Exodi 34. 10. Incarnatio Verbi summum misericordiæ opus.

27 Placatus populo Deus intuitu suæ misericordiæ, maiores, quàm antè populo fauores promittit, numeratos Exod. 34.

28 Nouis tabulis inscriptam legem tradit, remittitque in castra Mosem.

29 Radiata fronte castrorum vigilibus timorem iniicit : vix agnoscitur à suis, & maiori deinceps in veneratione habetur.

30 Cur honoratus à Deo Moses illis radiis, & stabili fulgore. Diuinitas, aut commercia cum Deo à plerisque legum conditoribus, opinione hominum affectata, frustra : sola diuina lex eum splendorem meretur, & præferebat.

31 Proceres

31 Proceres, populúmque consolatur Moses nuntio pacis, & redintegratæ à Deo gratiæ: excitat omnium liberalitatem in Dei donaria ad tabernaculi fabricam.

32 Lege explanatâ iubar vultus iniecto velamine attemperat populo, Exod. 34.33.

33 Allegorica significatio illius velaminis ipsi exponitur à Deo. Dona in tabernaculum præparantur.



LIBER